

3047

C O D I C E S

3048

con Univ. germ. T. XXXIV. ubi et reliqua ejus Opera musica enumerantur. Nostrum in alterius cujusdam Aulae usum elaboratum fuisse evincunt Sacra *Dresdae* ea tempestate jam mutata. In *Petrarchae* Poemation (*Sonetto*) quod incipit: *O Passi sparsi, o pensieri uaghi e pronti &c.* Cantum quendam tunc celebrem compositum fuisse, cujus thema *Scandellus* hic persecutus fuerit, conjicio.

DCCCXXXVIII.

- 2 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 71. Fol. max. splendide exaratus, literis initialibus xylographicis impressis, magnam partem miniatis et SS. imagines referentibus ornatus, et e *Fuggeriana* in Caesaream Bibliothecam, ut videtur, translatus hoc titulo: *Officium Misse Nuptiale Illustri et Generoso Domino, D. Octaviano Secundo Fuggero, Baroni in Kyrchberg et Weissenborn, a Fratre Joanne Tornario SS. Vdalrici et Affre Conuentus Monacho, gratulationis ergo scriptum et dedicatum. 1579.* Celebraverat *Octavianus Rudolpho II.* a consil. et urbis *Augustanae* Praefectus nuptias cum *Maria Jacobe Johannis Fuggeri* filia, ad quas illustrandas Musurgi sequentes conspiravere: *Introitus. Deus Israel conjungat vos. Quinque vocum. Auth: Jacobo de Kerle.* Folior. 6. *Missa quatuor Vocum auth: Orlando di Lasso.* Folior. 30. *Nuptiae factae sunt &c. Sex Vocum Authore Orlando di Lasso.*

Folior. 17. *Domine deus patrum nostrorum. Sex Vocum Authore Melchiore Schrammio.* Folior. 15. Maximam hos inter famam adeptus est *Orlandus di Lasso* seculi sui *Orpheus* dictus, qui peragrata *Italia, Anglia* et *Gallia* tandem choro Musicorum *Alberti Ducis Bav.* praefectus *Monachii* obiit 1593. V. *Foppens Bibl. Belg. T. II. p. 934.* De artis musicae Augustae Vind. ea aetate fortuna confer *Pauli a Stetten jun. Kunst-Gewerb- und Handwerksgecb. der Reichsstadt Augsb. ibid. 1779. p. 521. 8.*

DCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 9 XVII. Folior. 18. f. max. continet Psalmum Davidis quinquagesimum, qui incipit: *Miserere mei Deus &c.* musicis modis a *D. Ferdinando III.* Rom. Imp. adstrictum, eidemque a *Georgio Moser* calligrapho musico, seu, ut ipse se vocat, *Notista* oblatum, praetexta inscriptione et festiva hujus modi epistola: *Psalmus Miserere ab Autoribus Augustis Davide Rege Israelis, & Ferdinando Tertio Imperatore Magno Deo decantatus. Miserere, canitur in Quadragesima, Auguste Caesar. Ego illud nunc affero pronus ad genua aduentantis M.^{tis} V.^{rae}; quia nisi venisset M.^{tas} V.^{ra}, Ego Quadragesimam, ante Quadragesimam habuissem. Nunc me ut spero, Miserere hoc a Quadragesima liberabit. Omnes Versus in hoc psalmo, summorum Musicorum venerabundo*